



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

3. Dissidium Victoris Papæ cum Asiæ Episcopis infallibilitati Pontificis Rom.  
eximiè patrocinari demonstratur testimonijs Eusebij, Sozomeni, Irenæi, &  
Concilij Nicæni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

S. Arsenio legimus; is ex aula recens pede in alterum genu coniecto cum Monachis sedere consueverat: indecens id reliquis visum, nec tamen audebant tantillæ rei tantum hominem admonere: alium ergo ex primarijs Monachorum subornant, qui eundem gestum inter sedendum exhiberet, & in hunc velut incompositum, rudemque disciplinæ, graviter Abbas inuestus est, Arsenio, qui propè assederat, rubore suffuso, ac pedem sensim demittente. Idem ab Apostolis factum Patres Græci agnoscunt Judæis corrigendis. Meruit igitur Petrus reprehendi, ut Monachus, de quo diximus; at culpâ subornatâ, merèque externâ. Sed hæc Hieronymi, aliorumque Patrum, non mea est sententia, & solum eo sine producta, ut ostendam Maimburgum ex incertis procedere. *Tertio.* Sed quidquid de errore Petri fuerit, verus an simulatus, nihil hoc exemplum ad rem facit. Malè Petrus fecerit, at non malè docuit, nec Paulus eum reprehendit, quòd non rectè ad veritatem Evangelij docuerit, sed quòd non rectè ad veritatem Evangelij ambulaverit: hoc est, vitam & mores instituerit; & ideo Tertullianus hæreticis hoc ipsum obijcientibus respondit: *Hoc fuisse vitium Conversationis, non verò Predicationis: sed nos non de moribus & vita quærimus, sed de doctrina; & in hanc solum negamus cadere errorem posse.* Possunt Pontifices malè vivere, possunt alios exemplo corrumpere; sed non possunt malè & contra fidem docere, & ideo jubemur facere, quæ dicunt, non quæ faciunt. Nec Christus oravit pro Petro, ut ejus sanctitas, sed ut ejus fides non deficeret. Cùm ergo non teneantur fideles mores Pontificum imitari, sed tantum doctrinæ & præceptis acquiescere, mirum non est, voluisse Christum, ut moribus quidem labi possent, at non fide. Malè ergo Maimburgus causam fidei, morumque miscuit, & vitia morum transtulit ad vitia fidei, qui paralogismus ferè perpetuus est in omnibus Maimburgi argumentis, adeò ille aut quæstionem non intellexit, aut intelligere non voluit, ut securius falleret.

III. *Opponit 7. (a)* Dissidium Victoris Papæ, cum Asiæ Episcopis. Res sic habuit. Romæ, toròque Occidente ex traditione à S. Petro accepta festum Paschæ Lunâ decimâ quartâ Martij, aut post illam agebatur, semper tamen Dominicâ die, quâ Christus revixisse creditur.

(a) Maimb. §. 8.



creditur. At Asiæ Episcopi, juxta traditionem uti dicebant S. Jo-  
hannis Apostoli, Pascha Lunâ decimâ quartâ Martij celebrabant  
ex præscripto Mosâicæ legis, quacunque die incidisset, etiam ex-  
tra Dominicam, idque ut Synagogæ jam exauctoratæ aliquid  
deferrent honoris, in re haud adeo magna; & Summi Pontifices,  
qui ante Victorem federant, Anicetus videlicet, Pius, Hyginus,  
Teleporus, Sixtus, hunc Asianorum morem æquo animo tulerant.  
Sed Victor Primus coactâ Romæ Synodo (a) abrogandum  
censuit; ratio, quæ Victorem ad id faciendum permovebat, ea  
potissimum fuit: *tum quòd Quartadecimani hanc permissionem teste*  
*Nicephoro (b) in necessitatem ac præceptum verterent, damna-*  
*rèntque erroris Occidentales: tum quòd hâc occasione Montanistæ,*  
*aliique etiam Romæ Judaïsmum latentè inducere conarentur,* ut ait  
Tertullianus. (c) Has ergo ob causas Victor (quem Maimburgus  
alibi *egregium & admirabilem Pontificem* vocat, cum videlicet necdum  
Romæ indignaretur) Asianis Episcopis præcipit, ut Dominicâ die  
juxta Romanam traditionem festum Paschatis peragant, anathema  
minatus, nisi obediant. Tantòque major eos excommunicandi  
causa subesse videbatur, quòd nollent totius ferè Orientis & Occi-  
dentis sententiæ & Decretis acquiescere, quæ in omnibus toto  
Orbe Synodis sancita erant procurante Victore, sic enim testatur  
fragmentum Synodi Palæstinæ sub Theophilo apud Bedam tom.  
2. libro de celebratione Paschæ. Irenæus præsertim idem cum  
Victore sentiebat, videlicet festum Paschatis Dominicâ die obeun-  
dum esse (id enim significant ea Eusebij verba: (d) *illud quidem*  
*defendit solo Dominico die Resurrectionis Domini Mysterium esse celebrandum*)  
non cessavit tamen repetitis litteris, donec Victorem permovit, ut  
jam latam excommunicationem suspenderet; Polycratem enim  
Episcopum Ephesinum (qui maxime Victori repugnabat) & cum  
eo Asiaticos Episcopos fuisse à Victore anathemate percussos, tam  
clare ab Eusebio asseritur, ut negari vix possit. Sed tamen &  
illud liquet, fuisse operâ studioque Irenæi pacem inter Polycratem  
& Victorem compositam, revocatâque censuras, & Asianos suis  
ritibus permisos, eâ tantum conditione, ne uti priùs Romanam  
consue-

(a) Anno 199. (b) Nicephor. lib. 4. cap. 30. (c) Tertullian. de præscr. cap. 52.  
(d) Euseb. lib. 7. cap. 24.



consuetudinem hæresis damnarent. Id Sozomenus (a) testatur. Porro, inquit, exortam olim controversiam sapientissimè mihi videtur dissolvissè Victor tunc temporis Romanorum Episcopus, & Polycarpus Smirnenfis (error est Typographi, & legendum Polycrates: Polycarpus enim jam viginti annos ante Pontificatum Victoris Martyrio obierat) ut singuli festum, prout consueverant, celebrantes, à mutua inter se communione nequaquam discederent. Cæterùm cum procedente tempore huic consuetudini Asiaticæ se iterùm error misceret, ejusque prætextu induci Judaismus inciperet; Patres Concilij Nicæni hanc consuetudinem hæresi Quartadecimanæ adscripserunt. Jam ex hoc Victoris cum Asiaticis dissidio, ita Maimburgus argumentatur. Asiani Episcopi Ductore Polycrate, Victori obtemperare noluerunt, quamvis ferio imperanti, minantique censuras, imò & infligenti, nec tamen inter hæreticos ante Concilij Nicæni sententiam habiti sunt; non ergo tunc temporis credebant Pontificem infallibilem esse; cur enim non obtemperarent, si crederent errare non posse? imò hanc solius esse Concilij prærogativam, nam modò post Concilij Decretum hæresis damnati sunt.

*Resp.* Multifariam solvi potest hæc Maimburgi Oppositio, quamvis non tam sit Maimburgi, quàm Launoij, & Protestantium, qui hoc ipso Polycratis exemplo cum Victore dissidentis usi sunt.

*Primo* igitur tantum abest, causam nostram exemplo Victoris destrui, quin potius validè adjuvetur. Pugnabant contra Victorem non Asiæ tantùm Episcopi, sed etiam Joannis Apostoli, Philippi Diaconi, Polycarpi, Traseæ, Sagaris, aliorumque Episcoporum & Martyrum exempla, ac traditiones, Pascha Lunâ decimâ quartâ celebrantium. Vicit tamen Romani Pontificis sententia, ostenditque eventus, ac Nicæni Concilij Decretum, non Pontificem errasse, sed eos, qui tantis exemplis utebantur, nec cogitabant claves Regni Cælorum, ac custodiam fidei non Joanni, nec Philippo, aut Polycarpo, sed Petro ejusque successoribus commissam; quando ergo Pontifex errabit, si tunc non erravit, quando præter tot Episcoporum ac Martyrum exempla, illius etiam auctoritate convinci videbatur, qui supra pectus Domini recubuerat, cui omnia Divina secreta sunt revelata? eritne aliquandò auctoritas major,

(a) Sozomen. lib. 7. cap. 19. Idem fatetur de Marca lib. 3. cap. 9.



major, quæ Pontifici opponi possit, quàm Johannis Apostoli? & & si hæc contra Pontificis Decreta nihil valuit, quæ alia valebit? quis credat aliquandò casurum, quem immotum videt, cum tam validè impelleretur? Exemplum ergo Victoris causæ nostræ egregiè patrocinator.

*Secundo.* Victoris sententia aut vera, aut falsa fuit? si falsa; non solus Victor, sed totus cum illo Occidens, Oriensque (Asiâ exceptâ) imò Concilium Nicænum erravit, quod cum Victore decrevit. Si vera; non ergo Victor erravit, sed qui Victori repugnabant: quod ergo argumentum ab eorum auctoritate duci potest, quos constat errasse? aut apud quas gentes falsis ac errantibus testibus causa aliqua non tantum probata est, sed etiam vicit? Planè in nulla logica, multoque magis in nullo Tribunali hæc consequentia probabitur: *Papa errare potest, quia hoc dicunt falsi & erronei testes.*

*Dices.* Nemo Asianos pro hæreticis habuit, quod nollent Pontifici obtemperare, ergo extra hæresin licet credere, aut etiam factò profiteri, Pontificem errare posse.

*Resp.* In sententia Asianorum duo considerari ac distingui oportet: primum, quòd decimaquartâ Lunâ Pascha celebrarent etiam extra Dominicam. Secundum, quòd huic ritui errorem miscerent, dicerentque id ad fidem pertinere, & qui aliter agerent, fidei derogare. Id certum est ex epistola Polycratis ad Victorem, quam recitat Eusebius: (a) *Isti, inquit, omnes (Johannes videlicet, Philippus, &c.) diem Paschatis decimâ quartâ Lunâ celebrabant ex Evangelij præscripto, & secundum regulam ac normam fidei. . . . his qua nobis ad terrorem obijciuntur, minime conturbor; mei enim majores dixerunt, oportere magis DEO obedire, quàm hominibus. Ubi vides Polycratem hunc morem asserere tanquàm ex Evangelij præscripto, præceptoque Divino, ac secundum regulam fidei provenientem. Ex quo consequatur, Occidentales, imò plerisque Orientalium, contra legem Evangelicam, præceptum Divinum, normamque fidei agere, qui planè error contra fidem erat, & ut talis à Victore damnatus, atque anathemate percussus: pergit enim Eusebius: His ita gestis, Victor Romana Urbis Episcopus omnes Asiæ, vicinarumque Provinciarum Episcopos tanquàm contraria recta fidei sentientes à Communione abscondere conatur. Vibrato anathemati intercessit Irenæus, effecitque apud Polycratem,*

N n lycratem,

(a) Eusebius lib. 5. cap. 23.



Iycratem, ut hunc errorem deponeret, neque eum ritum ad fidem crederet pertinere. Apud Victorem verò, ut Asiaticam consuetudinem ferret errore jam liberam: & utrumque persuasit: convenitque inter Victorem & Polycratem; sic enim Sozomenus scribit: (a) *Porro exortam olim controversiam sapientissimè mihi videtur dissolvisse Victorium temporis Romana Ecclesia Episcopus, & Polycarpus Smirnenfis (lege Polycrates ut supra memini) nam ex communi consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, à mutua inter se communiione nequaquam discederent. Ergo post Victoris aut intentatas, aut vibratas Censuras, Irenæo præsertim agente, respuit Polycrates, cessavitque contumacia; & Victor quoque passus est eam consuetudinem retineri, postquam desijt cum errore misceri. Jam ergo ad Maimburgi oppositionem facilè respondeo: non idèò Polycratem cæteròque Episcopos Asiæ pro hæreticis habitos non esse, quòd Ecclesia crederet, Pontificem falli posse, ac illi impunè resisti; sed quia, ut vidimus, respuit Polycrates, cessavitque contumacia, ac Victor consuetudinem ferendam censuit errore purgatam. Quemadmodum pari omninò ratione, Communio sub una specie, ac Consecratio in fermentato sunt ritus innocentes, nec fidei adversantur, & idèò diu multumque in Ecclesia usurpati, prohibiti verò, ubi in hæresin desierunt. Cæterum Irenæus, qui eo tempore florebat, pacemque inter utramque Ecclesiam composuit, non solùm Pontificis Decreto quàm primùm accessit, verùm etiam Pontificiæ infallibilitati insigne testimonium præbuit, simulque, qui tunc primæ illius Ecclesiæ sensus esset, egregiè aperuit; sic enim loquitur: (b) *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorum Principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos, qui ubique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, que est ab Apostolis traditio. Nihil ergo Asiatica concertatio contra nos facit, sed plurimùm pro nobis; ex illa enim constat, jam primoseculo, & recenti adhuc ac illibata Apostolicâ doctrinâ sanctissimo Pontifici ac Martyri Victori, apud quem nihil adulatio aut fastus poterant, certum, fixumque fuisse, teneri fideles in rebus ad disciplinam, fidemque spectantibus Decretis Pontificijs acquiescere, & nisi facerent, arceri ab Ecclesia posse, non expectatâ Concilij sententiâ, & quamvis Polycrates,**

(a) Sozom. lib. 7. cap. 19. (b) S. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 3.



aliique Asiatici initio restiterint, constat tamen istos errasse, ac tandem veritate convictos esse.

IV. *Opponit 4.* (a) Exemplum S. Cypriani Episcopi & Martyris Carthaginensis, aliorumque quam plurimum Africae Episcoporum, qui Decretum Stephani Papæ de hæreticis non rebaptizandis nullo modo recepere; neque tamen aut Cyprianus, aut Firmilianus, aut Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Optatus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, aliique Asiae, Africaeque Episcopi pro hæreticis habiti sunt; donec in Arelatenfi, Nicæno, ac Constantinopolitano Concilijs Baptisma hæreticorum repeti prohiberetur. Constat ergo Patres, tertij, quarti, quintique sæculi ejus sententiæ fuisse, ut crederent, ultimum ac Decretorium de causis fidei judicium non penes Pontificem, sed Concilium esse. Ita Maimburgus ex Launoio & Centuriatoribus argumentatur, quod ferè perpetuum apud hunc Auctorem. Additque S. Augustinum (b) apertè testari, S. Cyprianum, qui Stephano Pontifici non cesserat, *cessurum tamen fuisse, si eo tempore questionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium fuisset.* Censuit ergo non tantum S. Cyprianus, sed etiam S. Augustinus, in causis fidei dirimendis majorem esse Concilij, quam Pontificis auctoritatem, ultimumque judicium non ad hunc, sed ad Concilium pertinere.

*Resp.* Superfedeo historiâ Cypriani pertexendâ, quam in Regali Sacerdotio (c) fusè prosecutus sum, & ad solam Maimburgi argumentationem respondebo. Nam *Primò* mirari lubet hujus hominis inconstantiam. Quandiù nulla Galliam inter Romamque simulas erat; nemo extollendæ Pontificum Majestati Maimburgo flagrantior. Imò hoc ipso Cypriani exemplo confutandis Calvinistis utitur: (d) *Abeo, inquit, tempore, quo Stephanus rebaptizari hæreticos vetuit, error Cypriani in hæresin transijt, &c.* Ubi verò oriri inter Romam, Galliamque dissidia cœpere, Pontifice Ecclesiasticam libertatem contra Regios Ministros protegente; Maimburgus continuò nullâ curâ causæ melioris ad Regios transire, & hoc ipsum Cypriani exemplum, quo nuper pro veritate, nunc contra veritatem urgere.

N n z *Osdem*

(a) Maimb. §. 10. (b) S. Augustin. lib. 1. de Bapt. contra Donat cap. 4. (c) Regale Sacerdot. lib. 3. §. 9. n. 4. (d) Maimb. dans sa 2. lettre sous le nom de Francois Romain.